2424

Ill^me Vir, Doctor Egregie, ac venerande mi Domine.

Hæsitans, an Tibi obsequi capax essem, hoc tamen satistio, quod unicum tuum jussum expleverim. Ad hoc non retrahebat labor, sed inhabilitas detinebat, quam etiam me fatente, ex fructu comperies. Si fames condiat, nil insipidum; quod & pane Hispanico dici potest, quem hic vix est ullus qui frangeret; tantaque in præsenti ad me misso, erat durities, ut potius quam scindere, debuerim retriturare: pro utilitate serviat delicatum palatum tuum, cui, inter confusas particulas, restat mici-legium. Nec impropriè memorabo, quod etiam exquisitissimorum epulo, semel saltim, alias vilipendenda concupiscat edulia; ut non mirer, Te, Sorbonicis conditoribus, etiam Hispano assuetum (ut fateris) uti volueris, et tali quem ex opere nosces. Nè præsumam igitur & concursu ad ea quæ præparas, unicè meminisse velis, quod, structoribus, serviant inferiores opifices; coquis, chytrarii; pistori, cribrarius. Eructa (vir sapientia plenè) verba orbi litterario grata futura; quæ si communiore Latino idiomate scribas, ut non dubito, nova Europæis cunctis discooperies Regna, cum clavis Regnicolarum sit lingua, quam ceteris dolatam tradet lingua tua

tua, quae calamus erit. Praecidas, si opporteat, nodos plures, quos, meis interpretationibus et notulis, forsan duplicaverim, ne dicam Gordios factos, ex quo ipsis digitos apposuerim: sed tua dexteritas meam suppleat inscientiam, siquidem ego vi rumperem, quae tu, arte, et experientia solves. Consentio, tecum, hanc Grammaticam Chinensem, é Bibliotheca Regia Berolinensi tibi communicatam, nec ab Hispano quodam, nec adhuc ab Europeo fuisse conscriptam: quam, nec charta serica potest reddere preciosam, nisi ars tua vertat intelligibilem: facilius haberi posset eadem integra quam typis mandatam memini me vidisse Hispaniae, errorum quoque millibus scatentem, cujus tale exemplar, adminus, litteras non daret dubias, dato quod dictiones proferret erratas, disjunctas syllabas, et vitiosissime intermixtas.

Si personaliter possem, forsan, in Hispania, librum hunc, ceterosque quos siscitaris invenirem: sed hinc, per alios, non possum certò promittere, quod ex raritate, nescio an amici poterunt exequi. Hoc unum offeram, quod hinc procurabo quae precipis, praeveniens, quod tomus primus operum Navarrete, dificillimê, secundus nullo modo possit inveniri. Quae inde intelligam, communicabo postea, quia etiam conductio est ardua.

Ill.mum D. Bibliothecarium saluto ex corde, sibi gra-
tus pro labore in impressione opusculi mei praestito:
sed confidentius rogarem, ut diceret, quas importaret ex-
pensas, si veniret casus majoris operis edendi, pro
uno folio, quingenta exemplaria seu ultra imprimi:
quantoque tempore opus esset plusquam ducentorum
foliorum tractatui; nam, ut video, ex inopia typo-
graphorum credo, nimis est hic expectandum, cum
apud nos componatur unaquaque die, ab unoquoque
typographo folium integrum.

Felices vos habentes impressionem vobiscum, ut
civius correctius ac liberius, communicare possitis
vestra: quorum particeps in tomo Actorum, mi-
hi praesentato per Ex.mum D. Praesidem Blomen-
drost., expecto et cetera. Fui in Cathalonicae Uni-
versitate, Professor Regius Theologiae: Academicos
igitur, nulliunde exteros estimo; sed ut quasi
Concollegas amo: plusque illos quorum non
valens gloriari socius, lego doctrinam discipu-
lus.

In quibuscumque valerem, essem omnium ser-
vus; maxime Tui, cujus benevolentiam sum ex-
pertus in litteris. Valeas. Vir eruditissime,
et redamare me velis.

Moskuae die 30. 8bris 1729.

Ill.me Doct.me et observ.me D.ne

V. Domin.s obsequ.mus Servus

Fr. Bernardus Ribera

Ill.me et Sap.me Vir. Theophile Sige-
fride Bayer. &c.